



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 13. De obedientia Præfecto Sodalitatis & eius administris deferenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

## CAPVT XIII.

*De obedientia Praefecto Sodalitatis cæterisq; eius administris deferenda.*

*Lib. 14. de  
Civ. c. 14.  
Lib. 35.  
Mor. c. 12.*

*2. 2. q. 186.  
a. 5. ad 5.*

**C**Vius virtutis amantissima, perq; omnem vitam obseruantissima fuit D. Mater obedientiæ, eius suis exercendæ cultoribus materiam amplam, meritorumque frequens deesse noluit. Cùm ea virtus in creatura rationali mater omniũ custosque virtutum ab Augustino censeatur, quæ auctore Gregorio virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Nihil est homini arbitrij libertate charius, nihil propria voluntate potius & pretiosius, eam tamen charitatis mucrone truncatam, aut eiusdem flammis incensam, in holocaustum diuino Numini offert obedientia; cùm ad eius honorem hominis illam subdit imperio, ex alieno que pendet & viuit arbitrato. Quare disertè docet S. Thomas, nihil hominem posse Deo maius dare, quàm quòd propriam voluntatem propter ipsum alterius

## LIBER I. CAPVT XIII. II;

terius voluntati subijciat, idque ex eo quem iam produxi D. Gregor. confirmari potest: qui longè altioris ait esse meriti apud Deum, propriam voluntatem alienę subiicere voluntati, quàm aut crebris magnisque ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare: quia qui perfectè præceptoris sui voluntatem implere didicit, in caelesti regno & abstinentibus & flentibus excellit. Cuius & illud est vulgatū c. i. Regum: *Melior est obedientia quàm victima*. Per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. Cùm perfecta est suisque expleta partibus & numeris obedientia, tres præcipuè gradus, tresque præclaras notas ac conditiones amplectitur, tum omnes quoque vires animi corporisque in diuinum obsequium impendit. Tres gradus sunt, vnus iudicij, alter voluntatis, tertius executionis, si non modò impleas quod iuberis, sed idem cum Superiore velis & sentias: tres conditiones ac notę, Celeritas, Hilaritas, Stabilitas, seu Promptitudo, Deuotio, Perseuerantia. Promptu-

lib. 2. in

1. Reg. c. 2.

Lib. ult.

Moral. c. 12

ptitudo & celeritas in executione perspicitur, hilaritas & deuotio in voluntate, firmitas & perseuerantia ex intellectus promanat obedientia. Etenim ille tertius gradus executionis infimus est, vixque obedientiæ nomine dignus, nisi nitatur utroque priore, ab eoque laudè meritumque mutuetur. Medius voluntatis instabilis & imbecillis est futurus, nisi à iudicij & intellectus conformatione nascatur & confirmetur. Præcipuus hic obedientiæ gradus, eius absolutione & firmitatem continet. Et quamquam

*Epist. de  
Obedientia.*

tertius nominatur à B. P. Ignatio, spectata imbecillitate naturæ nostræ, tamquam postremus ac difficillimus acquiritur, tamen si naturæ rectè institutæ spectes ordinem, hic primus obedientiæ iudicij gradus existat oportet, cum à cogitatione omnis animi corporisque motus oriatur, cum ex iudicio rationis suam voluntas accommodet assensum, huiusque demum imperio vires externæ ad exequendum opus applicantur. Ut autem illum supremum obedientiæ gradum adipiscamur, illa vna eximia est ratio ne tam

ex-

externis oculis Præsidem hominem qui nobis imperat, quàm internis animi ac fidei Deum, cuius ille vices gerit, cuius imperat nomine, semper intueamur. Nō cuiusmodi ille sit Præpositus noster, sed cuius personam sustineat attendamus, neque nos homini mortali, qui & fallere & falli queat; sed in homine Deo immortali, cuius nec sapientia falli, nec bonitas fallere potest, cuius certissima regimur prouidentia, obedientiam deferre reputemus. Ut magnus Antonius Christum in Paulo reueritus, quasi Christum in Paulo videns, & in eius pectore Deum venerans, vltra respondere nihil ausus: ita nos in maioribus nostris Deum præsentem audire, & venerari conuenit. Ac quoniam hæc obedientia Partheniorum Virg. Matris honoris causa deferretur Præfecto Sodalitatis, ceterisque eius delectis administris (sine quibus acephala, cōfusa, & sine ordine, suis minimè certis distincta ac colligata membris foret Sodalitas: ut in corpore caput vigere, ac cetera regere membra; sic in omni cœtu ac conuentu summum aliquem esse magistratum

*Hieron. in  
vita Pauli.*

stratum oportet) exploratum est, in iis D. Matrem oculis interioribus contuendam, cui, & ob quam iis præstatur obedientia. Eorum voces omnes & iussa sic excipienda quasi ab ipsa D. Matre emanarēt, quasi in ijs D. Matrem audiremus mandata sua proferentem. Nam certè sunt illius interpretes voluntatis atque internuntij, qui sunt eius vice Sodalitatis suæ Præsides & administri. Itaque dictum illis existimemus à D. Matre: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Siue Deus, siue homo Dei vicarius mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Verè Bernardus, & ego verè quoque dixerim, *Siue Dei Mater, siue Dei Matris vicarius & locum tenens mandatum aliquod imposuerit, pari profus studio est exequendum; nisi verò maius etiam adhibendum est studium vbi plus in sese superando submittendoq; difficultatis inest ac cōtentionis; quoniam vt est ista laboriosior ac difficilior obedientia, quæ ob D. Ma-*

tris

*Bernard.  
de præcept.  
& dispens.*

tris honorem homini mortali, quã quæ  
 ipsimet D. Matri suomet ore præcipienti  
 deferretur; ita & maioris est apud Deũ  
 meriti, maiore pensanda præmio, maior-  
 que ad Virginem redit honos, dum eius  
 causã æquali nos homini subiicimus,  
 quàm si ab ipsa proximè iussa ac manda-  
 ta subiremus. Quas verò pariat vtilitates  
 obedientia, quas virtutes secum adue-  
 hat atque contineat, fidem, patientiam,  
 humilitatem, fortitudinem, constãtiam,  
 charitatem (quæ in hac nostra quæ ho-  
 mini defertur, quàm in altera cumula-  
 tiores existunt) quàm expetendum sit  
 rebus in omnibus Dei ac D. Matris exe-  
 qui voluntatẽ, quod præstatur obedien-  
 tiã, dicerem nisi nota essent ac peruul-  
 gata. Id satis habeo dicere, inobedien-  
 tes Euę infelicis primæ parentis, aut ma-  
 gis nouerçæ quàm matris, quæ prima in  
 mundum inobedienciæ crimen inuexit,  
 curiosiùs de præcepti à Deo impositi  
 causa cum serpente sermo cinata, *Cur præ-*  
*cepit vobis Deus, &c.* germanas esse proles,  
 inquietas, curiosas, anxias, perturbatio-  
 num & ærumnarum plenas; hinc illæ la-  
 crymæ,

Gen. 3.1.

*Gregor. c. 2.  
in 1. Reg. c. 2.*

crymæ, hinc omne malum, & totius ruina nostræ radix & origo. At obedientes, qui iussa capeffunt aliena, nihil inquirentes obsequendi studio (nescit enim iudicare nec inquirere qui perfectè didicit obedire) germani sunt filij Virg. Mariæ Dei Matris, quæ Gabrielis Archangeli dictis obsequendo mater effecta est saluatoris, cùm se profiteretur ancillã, huius ipsius obedientiæ Deo deferendæ summo incensa desiderio, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbũ tuum. quam eandem obedientiam in omni semper vita coluit atque vsurpauit sanctissimè; siue cùm à prima infantia pueritiaque suis parentibus est obsecuta, siue cùm trimula in templum deducta Sacerdotibus, pijsque matronis, quarum curæ & institutioni est tradita, obediit, siue cùm Mosaicæ legis præscriptis, quibus ob filij dignitatem minimè astringebatur, sese submisit, siue cùm Ioseph sponso, quem Angelus de rebus agendis instruebat, obtemperauit accuratissimè; ad illud intuens Saluatoris exemplar absolutissimum, quod nobis vehementer in

in oculis atque intimo versari pectore percuperet, qui subditus erat illis, & factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. pro obedientia non dubitauit mori, & ne obedientiam perderet perdidit vitam, vti scitè Bernardus. Quã Saluatoris & D. Matris obediẽtiam qui cum ope diuinæ gratiæ, quoad eorum pars vitilistulerit, imitati fuerint, maxima sanè pace ac tranquillitate perfruentur, ac propè in illum pristinum optatissimũque deperditæ innocentiaẽ statum restituentur. Penè præterieram insignem quandam quam obedientia parit vtilitatem; nimirum quòd obediẽtes in ea quæ solet adolescentiæ ac iuuentuti periculosissima ac molestissima carnis esse pugna, superiores ac victores euadant. Vir obediens loquetur victorias, de ipsis per inobediẽtiam è cælo præcipitatis Angelis; sed maximè de carne hoste domestico omnium hostium infensissimo. libidinis vitium facilè ab eo superari qui suis maioribus didicerit obtemperare. docent Bernardus & Augustinus. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro,

Philip. 2. 8.

De gradib.

humil. c. 2.

Ad milites  
templi c. 13.Prov. 27.  
28.In psalm.  
143.

caro. quid iustius? quid pulchrius? tu maior, minor tibi: serui tu ei qui fecit te, ut & tibi seruiat quod factum est propter te. Non est hic ordo, tibi caro, tu Deo; sed tu Deo, & tibi caro: si contemnis tu Deum, numquam subijcietur tibi caro.

*Serm. 1. in  
festo SS. O.*

hæc Augustinus. At Bernardus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: hanc ego terram corpus nostrum intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis & Superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit Superiori.

#### C A P V T X I V .

*De utilitate Confessionis generalis,  
quæ Sodalitati ineunda præmittitur.*

**T**Am est ingens bonum sempiterna felicitas Beatorum, tam ingens malum extrema miseria damnatorum, ut, si ex omni hominum multitudine vnus dumtaxat quispiam certò denuntiaretur illo cariturus summo bono, & in hoc summum ruiturus malum, nemo non magno-